



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 8. Quàm sit immensa Dei misericordia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

Matris Dei. Ibi ergò cursum suum cœpit, quò Angeli suum pro-
duxerant & absoluerant. Si ergo viuere incipiens jam tot ha-
buit gradus charitatis, misericordiæ, & clementiæ, quot in celo
Beati Angeli, eosque semper auxit, immò duplicauit, & condu-
plicauit; quantam jam in celo misericordiam possidebit?

Nemo jam miretur, si Petrum tam grandem peccatorem,
tam inueteratum, & desperatum patrocínio suo iuuat. Charita-
ti illius nulla potest iniquitas comparari: cupit enim illa, exem-
plo Filij, omnes, quales, & quantoscumque peccatores, *saluos fieri*;
& à nullo retrahit suam charitatem. Ex qua ulterius licet ascen-
dere ad illam diuinam immensamque Christi misericordiam,
charitatem, & bonitatem. Quid multis opus? infinita est. Hinc
quid mirum, si Petro tam desperato, si latronibus, si adulteris, si
Sodomitis, si Veneficis & Magis, qui illum toties abnegauerunt,
potest ignoscere? Ut vna scintilla in totum Oceanum incidens,
illico absorbetur & extinguitur, ita in immensum illud mare mi-
sericordiæ, quidquid incidat peccati, absorbetur. Cogita animo
maximum peccatorem, cogita fandos, infandos, idololatræ,
atheos, damoni mancipatos, cogita totum cumulum peccato-
rum, quæ à sæculo commissa sunt, per omnes homines impios,
per omnes dæmones & damnatos in inferno; si ea omnia scelera
vnus homo fecisset, tamen nihil essent ad infinitam Dei miseri-
cordiam comparata; longè illa adhuc maior est; parata est igno-
scere, si velint ad eam confugere peccatores; patienter expectat
pœnitentiam eorum, cupiens *proicere in profundum maris omnia* Mich. 7. 19
peccata nostra, est enim, vt dixi, quidquid vbique peccati admis-
sum est ab omnibus, instar scintillæ in pelagus cadentis, si cum
misericordia Dei conferatur vndequaque infinita, quæ meritò
profundum maris appellatur. Est enim immensa profunditas mi-
sericordiæ diuinæ. Venit etiam peccator in profundum, & num-
quam venit ad terminum malitiæ, dum viuit, potest enim semper
profundiùs descendere: vnde ait: *Infixus sum in limo profundi: &* Pal. 68. 9
non est substantia. Veni in altitudinem maris: & temp. stas demersit me.
Sed quocumque descenderit, & vndecumque orauerit: *De pro-
fundis clamaui ad te, Domine*; semper adhuc profundior est miseri-
cordia diuina, quæ fundum non habet; nequit exhaustiri.

VIII.

QVAM SIT
IMMENSE DEI
MISERICOR-
DIA?
1. Tim. 2. 4

I 3

Quam